

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica III. adventus

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

Dominica II. Adventus.

bilis. Inquit enim Christus: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Cœlum in scripturis sic describitur, quod sit *σπιριτόνα* firmamentum. Gen. i. v. 6. solidissimum, quasi ære fusum, Hiob. 37. v. 18. Terra quoque fundata est, super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi. Ps. 104. v. 5. Nihilominus Christus de utroque ait: *πάπεισθενται*, transibunt, & quidem ita, ut vel minimum vestigium non appareat, sicut hæc vocula usurpatæ de flore, Jac. 1. v. 10. tempore, Matth. 14. v. 15.

Sed de verbis suis ait, non transibunt: verum quæcumque in iis piis promisit, impiis vero minatus est, omnia implebuntur, ad minimum iota, aut apicem, Matth. 5. 18.

In serviant hæc

Consolationi nostra. Hominum promissiones saepe fallunt, exemplo Labani, qui Jacobo multa pollicitabatur, sed postea immutabat mercedem ejus decem vicibus, Gen. 31. v. 41.

Id in Christo metuendum minimè est. Citius enim montes & colles loco movebuntur, Esa. 54. v. 10. quam unum verbum p̄ætererit in cassum, Jof. 23. v. 15. Unde vocatur verbum vita, Joh. 6. v. 68. non modò ideo, quia is locutus est illud, qui verus Deus est, & vita æterna, i. Joh. 5. v. 20. sed etiam quia ad immortalitatem nos promovet, Joh. 8. v. 51. nec ullius homi-

nis violentiâ infringi potest, Vide Esa. 40. v. 7. 8.

Quid non tentarunt primi ethnici Imperatores? Quid non Pontificii nostro seculo, ut verbum DEI supprimèrent? Sed frustrà. Adhuc immotum stat verbum Christi: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Verbum perennat firmiter,

Ingratiis ipsorum:

Adsistit ipse jugiter,

Cum gratia donorum.

Si corpus occidunt,

Et omnia rapiunt.

Dimitte tu latus,

Est quæstus hic nullus,

Regni Dei qui certus.

Das Wort sie sollen lassen stahn/

Und kein Dank darzu haben:

Er ist bey uns wol auff dem Plan/

Mit seinem Geist und Gab. n.

Nehmen sie uns den Leib /

Gut Ehr/Kind und Weib /

Lahfahren dahin /

Sie habens kein Gewinn /

Das Reich muss uns doch bleiben.

Regnum videlicet gloria æternæ, quod Deus nobis omnibus ex gratia largiri dignetur, per & propter Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

Dominica III. Adventus.

Evangelium, Matth. 11. v. 2. --- 10.

EXORDIUM.

Cum miraculosus ille Propheta Elias, vivus in cœlum aslumtus esset, filii Prophetarum in

Hiericho, non parùm ideo solliciti fuerunt, propterea accesserunt Elisam, dicentes: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta fortis viri,

viri, qui possuntire, & quærere Dominum tuum, ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & projecterit eum in unum montium, aut in unam vallum.

Etsia. Elisæus satis certus erat, Eliam verè in cœlum raptum esse: attamen permittebat id ipsis, quia tam sollicité instabant, ne amplius haberent causam dubitandi, sed certissimi forent, rem haud secus sese habere, quam dixerat ipsis. 2. Reg. 2. v. 16. leqq.

Hæc historia non inconcinnè Evangelio nostro congruit. Quemadmodum enim Elias Thesbitæ in cœlum adscenderat, filii verò Prophetarum credere id recusabant: sed spiritum Domini aliorum eum rapuisse arbitrabantur, ut antehac sèpius factum: sicut constat, ex 1. Reg. 18. v. 12. Sic promisus ille mundi Messias verè præsentiam suam exhibucrat, cuius desiderio Patriarchæ Vet. Test. miro desiderio flagraverant, Psal. 14. v. 7. Esa. 65. v. 1. Dan. 9. v. 19.

Sed Judæi expertinacia id credere nolebant, alium enim Messiam sibi imaginantur, qui excusso Romanorum jugo de cervicibus illorum, rerum se Dominos constitueret, & in libertatem pristinam vendicaret. Quia verò ipse non habebat, quò caput reclinaret, Matth. 8. v. 20. Despiciebant ipsum dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos, Luc. cap. 19. vers. 14.

Alii ambigebant, utri horum honorem Messiae deferrent, Christoné, an Johanni Baptizæ, præcursori ejus. Hinc ansam capiebat Johannes, audiens in carcere, quæ miracula Christus patraret, rem planè expedire, & dubitantes ex errore liberare. Ablegatis itaque duobus discipulis suis injungebat, ut quærerent ex Christo: utrum ipse promissus

mundi Messias esset, an alium expectarent. Hoc non sui causâ fecit, dígito siquidem Christum ostenderat, dicens: Ecce! agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 36. Sed propter alios, ut ex ipsis Christi ore perdiscerent, non aliter se rem habcre, quam ipsis hactenus exposuerat, præsertim si signa miraculosa conspicerent, quæ in ægrotis tum patrabat, ut pluribus ex Evangelio audiemus. Ex quo proposito nostro inservientes, discemus:

I. Αὐθεωπολογία, sive notitiam nostri.

II. Χριστιωνισμός, sive notitiam Christi.

J.J.

Exegesis.

Præsens Evangelium haud incongruè succedit priori, si gravissimas causas perpendamus, quæ filium Dei stimulant, ut in justa ira sua judicio se accingat, idemque acceleret. Piissimus enim Concionator Johannes, in Castello Macherunte in vinculis jacet, & tandem capite truncatur, dum interea Herodes cum concubina sua genio indulget, choreas agit, & lætitia exultat. At haud inultum finit id Deus, justus enim judex & vindicta est, Psal. 11. v. 8. Non verò omnia punit in hoc tempore: ergo certissimè fiet in die extremo, ubi iustum erit apud Deum, reddere iis qui affligunt nos, afflictionem. 2. Thess. 1. v. 6. 7.

Interēa notitiam nostram hinc discere possumus, si intuemur:

I. Johannis incarcerationem. Hic vir sanctissimus ab Herode carceri inclusus erat, non quasi homicida, aut fur, aut maleficus, 1. Petr. 4. v. 15. sed quod Herodem, qui conjugè legitimâ repudiata, cum Herodiade, Philippi fratri uxore

C

in ince-

in incestu vivebat, objurgaverat, expref-
sis verbis dicens: Non licet tibi habere
uxorem fratristui. Hanc ob causam, non
modò carceri mancipatus: sed & tandem
instinctu Herodiadis, postquam annum
& tres menses in carcere degerat, de-
collatus est, sicut non tantum Mat-
thæus, cap. 14. vers. 3. & Marc. 6. vers. 17.
sed etiam Josephus 18. Ant. Jud. c. 7. te-
stantur.

*Hic probent se Ecclesiæ Pæstores, &
in genere omnes Christiani, an ob veritatem
Christianam, ad carceres & vincula subeun-
da parati sint?*

Equidem, post tristissimum lapsum,
omnes quasi Johannes in carcere sumus,
unde saepius ingemilcendum nobis: Do-
mine, educ animam meam ex carcere,
Psal. 142. v. 8. h. e. uti Lutherus in mar-
gine explicat: è calamitate, æxumnis &
miseriis. Sed præter communes hasce
afflictiones, dantur carceres corpora-
les, quibus innocenter probi Christia-
ni quandoque includuntur, ut Exem-
pla Josephi, Gen. 39. v. 21. Simsonis, Jud.
c. 26. v. 21. Michæ, 1. Reg. 22. v. 29. alio-
rumque testantur.

Quando igitur adhuc hodie uni vel
alteri idem accedit, cogitet, hoc ipso
veram doctrinam probari, si cum Con-
fessoribus suis, illa horrendum in mo-
dum persecutione prematur. Cum itaq;
corda nostra sanguine Christi, in fide
vera conspergimus ad salutem: è con-
trarioathanæ synagogam sanguine no-
stro contaminari cernimus, ubi plerum-
que verbi-ministri in aie stant, qui tan-
quam oviculae ad macrandum abducun-
tur. Hinc est, quod Moses, Jeremias &
Jonas inviti ad hoc ministerium per-

tracti fuerint: quinimò adhuc hodie vi-
demus, divitum filios rarissimè Theolo-
gia studio consecrare sese, sed pauperes,
quibus ulterius progredi non licet, hoc
studio funguntur: illi enim metuunt,
ne cum Johanne in carcerem recondan-
tar, nam veritas mundo invisa est, 1. Reg.
22. v. 8.

Cum Baptista natus esset, gaudium
fuit & exultatio, Luc. 1. v. 14. Cum mini-
sterium suum incepisset, Hierosolyma &
omnis Iudæa exivit ad illum, Matth. 3. v. 5.
ipse quoque Herodes libenter audivit eum,
Marc. 6. v. 20. Sed finis est, *Johannes in
carcere*. Similem miseriari non timore,
non pudore declinemus, si fideles inve-
niri velimus. Qui enim non bajulat cru-
cem suam, & venit post me, non potest
meus esse discipulus, Luc. 14. v. 27. Saepè
Ecclesiæ ministri, dum in ordinatione,
manus impositionem suscipiant, hoc ipso,
velut pecora in Vet. Test. ad sacrificia in-
augurantur, Levit. 3. v. 1. Quilibet dare
debet operam, ut bonâ conscientiâ &
causâ gaudeat, velut Baptista, *causa siqui-
dem facit Martyrem*, & nihil detrimenti
nobis adferet mors ignominiosissima. *Pro
Christo dulces sunt injuria, & mors grata,
quia parit immortalitatem*, Ambrosius.
1. Petr. 2. v. 20.

Quinimò sicut Salomo ait: quod de car-
cere catenisque interdum quis egreditur
ad regnum, Eccles. 4. v. 14. hoc reverâ im-
plebitur, quando in Domino beatè illi
morientur, tunc enim quoad animam,
continuò è carcere hujus mundi avola-
bunt, in regnum cœlestis, ut cum Christo
regnent mille annos, h. e. in æternum, A-
post. 20. v. 4.

II. *Discipulorum allegationem.* Johan-
nes

nes enim duos ad Christum misit discipulos, per quos quæsivit: Tu es, qui venturus es, an alium expectemus? Quinam hi discipuli fuerint, non indicatur. Cl. Alexandrinus autumat, alterum fuisse Carpum, cuius mentio fit, 2. Timoth. 4. v. 13. alterum Silam, qui in Actis subinde citatur, cap. 15. 16. 17. 18. Sed præterea, quod incertum sit, nostrâ quoque parum refert, ut sciamus. Sufficiat nobis scitu, Johannem duos discipulorum ad Christum allegasse. Quia enim ex errore, Christum ut Messiam agnoscere & recipere nolebant, Johanni honorem Messiae deferre satagentes: idè ipse ad Christum eos ablegat, ut sinistrâ opinione liberet, & in viam reducat.

Hic examen institue apud te ipsum, an exemplo Johannis, eos, qui inspectione & cura tua subsunt, fideliter ad Christum delegaveris, eorumque salutem omni studio promoveris?

Hoc cuilibet in vocatione sua incumbit, juxta talentum concreditum, Matth. 25. v. 15. *Ministri ecclesie sunt spirituales vigiles*, Ezech. 3. v. 17. qui pro animabus auditorum pervigilant, Hebr. 13. v. 17. Recte proinde munere suo funguntur, si ad Christum eosdem mittant, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, Actor. 10. vers. 43. Hic centrum est, ad quod omnia vaticinia collinant, imò dux & consummator fidei, Hebr. 12. v. 2.

Idem faciant Christiani Magistratus. Quia enim à DEO custodes utriusque tabulæ Decalogi constituti sunt, non modo ipsi cultui divino diligenter vacare debent: sed & operam dare sedulò, ut subditi sui Christo adducantur. Exem-

pli Josuæ, Jos. 23. v. 6. Assæ, 2. Chron. 15. v. 13; Josaphat, 2. Chron. 15. v. 13. Hiskiæ, 2. Chron. 30. v. 1. 6. aliorumq;

Idem *patribus-matribusq; -familias* incombunt. Dvitiae & opes, ut ut acervatim corrasæ, mundo efferti non possunt, Psal. 49. v. 10. Sed pietas ad omnia utilis est, 1. Tim. 4. v. 8. Hanc parentes Christiani omni studio liberis suis instillare debent; hæc optima pars est, quæ non auferetur ab illis, Luc. 10. v. ult.

III. *Christi perorationem*, sive responsum, quo discipulos hosce relegavit. Nam respondens Jesus dixit illis: Euntes, renunciate Johanni, quæ audistis, & vidistis; Cæci vident: claudi ambulant: leprosi mundantur: surdi audiunt: mortui resurgunt: pauperes evangelizantur, & beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. S. Lucas memorat, quod Christus in ipsa hora multos curaverit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donaverit visum, Luc. 7. v. 21. quod quia discipuli coram intuebantur, hoc ipso, eosdein ad diligentem miraculorum horum considerationem excitare voluit, ut illi certissimè persuaderentur, impleri hacin parte, quod dudum Esaias de Messia prædixerat, Esa. 35. v. 4. seqq.

Imprimis verò scandalum precavendum esse, sedulò monet, inquiens: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Quia enim in servi formâ, & multâ pauperie Judæam peragrabat, nemo erat, qui illum magni faciebat, tantum abest, ut tanquam Messias debito honore afficeretur.

Hic velim, probes te, mi Christiane!
anon & ipse in miserâ servi formâ

Dominica III. Adventus.

20

tui Redemptoris offensus fueris, quando magnificientia regni Anti-Christici oculos tuos perstrinxit, ubi in Christi regno prater passperiem & mendicitatem vix quicquam intueris?

Experiencia testatur, quod multi, quando pompa antichristici regni oculos eorum obfuscatur, Christus est contrario cum Evangelio mendicando incedit, hoc ipso moveantur, ut à vera ecclesia turpiter deficiant, & cupidine divitiarum aut honorum inescati heterodoxæ parti sece aggreagent. Sed veri Christiani omni scandalō resistunt, sciunt enim gratiam Domini nostri Iesu Christi. 2. Cor. 8. v. 9. Ideò ecclesia Christi vocatur pusillus grec, Luc. 12. v. 32. populus pauper & egenus, Zeph. 3. v. 12. misera, tempestate convulsa, absque omni consolatione, Ei. 5. 4. v. 11. Quicunque itaq; discipulus Christi, & membrum ecclesiæ esse vult, cogitet modò, sine cruce & afflictione vivere se non posse, Tob. 12. 13. sed finis est spectandus. Satanás illos, qui sibi serviant, per omnes voluptates ducit, sed tandem, fracta cervice, in stagnum sulphuris & ignis præcipitat, Apoc. 21. v. 8. ex quo nulla redemptio, Psal. 49. v. 20. At Christus suos per varias afflictiones & persecutio-nes ducit: sed excipiet eos δόξαντας ὑπέβολον εἰς ὑπέβολην, aeternum gloriæ pondus, 2. Cor. 4. v. 17. Jac. 1. v. 12.

Hoc si rectè perpenderimus, impiis non invidebimus, si prosperæ fortunæ flatu illi utantur: sed magis eligemus, affligi cum populo Dei, quam temporalem peccati habere jucunditatem, Hebr. 11. v. 25. 2. Tim. 2. v. 11. 12.

De Secundo.

Digrediemur nunc ad alteram partem,

xριστονοσίας, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi meditaturi.

Hic enim proponitur nobis:

1. *Tanquam infirmorum restaurator.* Discipulis enim ablegatisita responderet, ut ad opera ipsos revocet, Euntes, ait, renunciate Johanni, quæ audistis & vidistis: Cœci vi- dent: claudi ambulant: leprosi mundantur: surdi audiunt: mortui resurgent.

Hæc omnia opera talia sunt, quæ merus homo obire non potest. Ubi oculista adeo excellens fuit, qui cœcis visum restituere poterit, præsertim si pupilla lœsa fuerit? Est hoc opus illius tantum, qui oculum plantavit, Psal. 94. v. 9. Claudios am- bulantes facere, itidem humanarum virium non est: & quamvis multum ef- fici possit efficacibus oleis, & aliis medi- camentis, frustra tamen sepe laboratur, siquidem,

Interdum doctâ plus valet arte, malum. Exemplo claudi ad Lacum Bethesda, Joh. 5. v. 5.

Leprosos mundare, non minus omnipotentia divinæ adscribendum est, ut ex re- spenso Regis Joram constat, 2. Reg. 5. v. 7.

Surdis auditum restituere, æquè difficile est, præsertim si malum inveteratum sit.

Et quis mortuos resuscitare valet, nisi DEUS solus? qui homines sinit mori, & dicit, revertimini filii hominum, Psal. 90. v. 3.

Si Christum Servatorem intuemur, hac omnia in optimâ forma perfecit, ita ut vel verbulo cœcos, claudos, leprosos, surdos restituerit, morbosque & mortem fu- gaverit. Est enim Deus, qui verba loquitur, & facit. Ezech. 17. v. 24. Psal. 33. v. 9.

Visum restituit cœcis, nempe Bartimæo,

Luc.

Luc. 18. v. 35. seqq. & cum cœcitate nato,
Joh. 9. v. 7.

Ambulare fecit claudicantes, exemplo
sit Paralyticus, Matth. 9. v. 6.

Leprosos mundavit, Matth. 8. v. 3. Luc. 17.
vers. 13.

Surdis auditum reddidit, Marc. 7. 32. seqq.

Mortuos quoque resuscitavit, ut filiam
Jairi, Matth. 9. v. 25. adolescentem in Nain,
Luc. 7. v. 14. 15. & Lazarum, qui quatri-
duum in sepulchro quiebat, & fœtere in-
cipiebat, Joh. 11. v. 4. & seqq.

Idem adhuc hodie præstantissimus me-
dicus est Exod. 15. v. 26. & magister ad sal-
vandum, Esa. 63. v. 1. qui nos non modò
corporaliter curare, omnesque infirmitates
nostras sanare potest, Ps. 103. v. 3. Sed quan-
do sâpe omnis spes decollat, & videtur, ac
si in cruce pereundum foret, ipse subito
cum auxilio suo properat, & mortuos
quasi excitat, ut homines annuncient opus
Dei, Psal. 64. v. 10.

Sed spiritualiter quoque animas no-
stras curat, quando illuminatos oculos cor-
dis nostri dat, Eph. 1. v. 15. ut videamus mi-
racula in lege sua, Ps. 119. v. 18. Aperit aures
nostras, ut audiamus gaudium & lætitiam,
& exultent ossa humiliata, Ps. 51. v. 10. Eri-
git remissas manus, & soluta genua, &
gressus rectos facit pedibus nostris, ne
claudicantes erremus, magis autem sane-
mur, Hebr. 12. v. 12. 13. purificat nos à spi-
rituali peccatorum leprâ, quâ naturâ
omnes infecti sumus, Hiob. 14. vers. 4.
dum sanguine suo adspexit, qui emun-
dat nos ab omni peccato, 1. Joh. cap.
3. vers. 8. A mortuis quoque nos ex-
citat, quando in peccatis mortuos vivi-
ficat, Eph. 2. v. 1.

Quemadmodum igitur hæc tanta opera

sunt, quæ debitam gratitudinem à nobis
requirunt: sic operam navemus, ut opere
ipso, non verbis duntaxat, gratitudinem
declaremus.

Christus operibus suis demonstravit,
se esse promissum mundi Messiam: sic
& nos fidem nostram ostendamus, ex ope-
ribus nostris, Jac. 2. v. 18. quod veri simus
Christiani, & genuini ejus discipuli, Luc. 6.
v. 46. Joh. 13. v. 17.

Sicuti non facilè artifici credimus, quod
artem calleat, nisi opere ipso eam probet:
sic neque credere possumus, quempiam
verum esse Christianum, nisi Christianè
vivat.

Christus fecit cœcos videntes: sic & tu
sis cœci oculus, Job. 19. v. 15. h. e. eorum
rationem habeas, qui in errore ver-
fantur, ut eos in viam reducas, ne vani-
tates intueantur: sed elevant oculos ad
montes, unde auxilium venit. Psal. 121.
vers. 1.

Christus claudos fecit ambulantes: sic
tu quoque sis claudicantis pes, Job. 29.
vers. 15. hoc est, proximo in ærumnis
succurre, nec despice carnem tuam, Esa.
58. v. 7.

Christus fecit surdos audientes: sic & tu
sis mutorum, & age causam omnium,
qui exterminantur, Prov. 31. v. 8.

Christus leprosos mundavit: sic tu quoque
operam nava, ut de spirituali pec-
catorum leprâ proximum liberes, Jac. 5.
vers. 20.

Christus mortuos resuscitavit: Et tu,
si Christi discipulus esse cupis, mor-
tuo non prohibeas gratiam, Sirac. 7.
v. 37. Imprimis vero illos, qui in mel-
ancholia & tristitia versantur, salutari
consolatione erigas, hæc enim est quæ

C 3 mul-

Dominica III. Adventus.

22

multos occidit, & non utilitas est in illa.

Sir. 30. v. 25.

Hæc gratitudo realis, Christo magis ar-
ridet, quæ solis verbis perficitur.
Matth. 7. v. 21.

II. *Tanquam vanitatis abominator.* Post-
quam enim legati Johannis abierant, ita
ad populum loquitur: Quid existis in de-
sertum videre? arundinem vento agita-
tam? Sed quid existis videre? hominem
mollibus veltitum? ecce, qui mollibus ve-
ltuntur, in domibus Regum sunt.

Ex quo apparet, Dominum odiisse:

1. *Mutabilitatem animorum,* qui arun-
dinem facile imitantur, quæ quando tran-
quilla tempestas est, erecta stat: at simul
ac ventusflare incipit, ex una parte in
alteram vacillat: sic & hi versipelles ad
flatum fortunæ se convertunt, & quo-
vis Proteo mutabiliores sunt, ut in-
constantiam eorum mirari latit ne-
queas.

Tales inveniuntur:

1. *In politicis,* qui promissis quidem
divites sunt, sed quò minus stare promis-
sis teneantur, varia effugia querunt, &
sic fidem fallunt, non perpendentes, illud
Salomonis: Si quid yovisti, ne moreris
reddere. Eccles. 5. v. 3.

Imprimis levitas hæcce inter familiares
notos & cognatos locum habet, qui cum
calamo non incommodè conferri pos-
sunt: Sicut enim ex illo baculus confici
non potest, cui initi possis, quia confring-
atur. Esa. 36. v. 6. sic etiam hi amici tem-
pore necessitatis non inveniuntur: sunt
socii mensæ, qui non permanent, in die ne-
cessitatis. Sir. 6. v. 9.

2. *In Ecclesiasticis.* Ubi levitas ejusmodi
conspicitur

1. *Ex parte pastorum,* qui sèpe vero fidei
fundamento destituti, ministerio fungun-
tur, & velut mercenarii auribus auditio-
rum inserviunt, sed tempore persecutionis
relinquunt oves in periculo & auffugiunt,
Joh. 10. v. 13. hi sunt mali operarii, qui gre-
gem non serio curant, Phil. 3. v. 2. 2. Cor. 11.
vers. 15.

Arundo non plantatur, sed in lacubus &
fossis spontè enascitur: sic etiam leviculi
hi nullam vocationem expectant, sed spon-
tè accedunt, Jer. 23. v. 21.

Arundo in fundamento palustri cre-
scit: sic etiam falsi illi doctores, non fir-
miter inhærent doctrinæ & sermoni, qui
potens est, & exhortari potest, Tit. 1. v. 9.
nempe fundamento Prophetarum & Apo-
stolorum, Eph. 2. v. 20. sed derelinquentes
viam rectam errant, 2. Petr. 2. v. 15. imò se-
ducunt & seducuntur, 2. Tim. 4. v. 13. quia
docent doctrinas, & mandata hominum.
Matth 15. v. 9.

Arundo non modò in caulem rectam
& proceram enata: sed & cristâ decorata
est: at interius inanis & concava est:
sic etiam falsi Prophetæ exterius in vesti-
mentis ovium nitent, Matth. 7. v. 15. & in
angelos lucis se transfigurant, 2. Cor. 11.
v. 14. at non est in ore eorum constantia, in-
ternum ipsorum malitia est. Ps. 5. v. 10.

Arundo huc illuc vacillat, prout à vento
impellitur: sic falsi Prophetæ spiritu ver-
tiginis aguntur, quem Deus ipsis immisit,
Esa. 19. v. 13. ut cogitationes suas proprias
sestantes, modò huic, modò illi opinioni
ad stipulentur, Psal. 119. v. 113. exemplo Sa-
maritanorum, 2. Reg. 17. v. 24.

Arundo piscatoribus impedimento est,
quò minus retia sua explicare & munia sua
dextrè efficere possint: sic sape falsi Pro-
phetæ,

phetæ; orthodoxis ecclesiæ ministris obstaculo sunt, quò minus Auditores suos utiliter edificant, imprimis si ab ipsis fascinari se finant, uti Galatæ, Gal. 3. v. 1.

Arundo parum emolumenta præbet, nisi ut igni mancipetur: sic & pseudoprophetæ tandem mittentur in stagnum ignis, ardenti sulphure, Apoc. 19. v. 20.

2. *Ex parte Auditorum*, qui sepe recto fundamento delituti, quovis cothurno mutabiliore, fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ, Eph. 4. v. 14. & quamvis ad tempus credant, tamè tempore temptationis deficiunt, Luc. 8. v. 13. sive infatuantur regnis mundi & gloriæ eorum, quando Diabolus hoc ipso oculos eorum perstringit, Matth. 4. vers. 8. Sicuti Magnatum hodie multi se se offerunt, qui Baalim osculantur, 1. Reg. 18. vers. 18. & Maozim venerantur, sperantes, se hoci pio divitias & honores consecuturos, Daniel. 11. vers. 39. non perpendentes Christi verba, Matth. 16. v. 16.

2. *Mollitiem vestimentorum*. Quando multi supra conditionem convenientem, holoserico & byssò se se vestiunt, qua in parte multi quoque Clericorum delinquent, qui habitus sacerdotalis pertæsi, pra animi fastu, Politicorum habitum æmulari, decorum putant. Qui tamen vélut proprii ordinis osores, non tam ordini suo, quām sibi ipsis labeculam adspargent.

In genere quilibet fastum inanem declinare, & ἐν καταστολῇ κοσμίῳ in habitu decenti incedere debet, 1. Timoth. 2. vers. 9. quia Dominus semper contemptibiles reddidit elatos, & destruxit eos, Sirac. 10. vers. 16.

3. *Blandimenta verborum*, quæ etiam

per mollia vestimenta intelliguntur, q. d. Christus: Johannes non est assessor, qui hominum auribus inservit: sed scapham scapham, & lagonem lagonem appellat, nec curat gratiam hominum aut indignationem. Idem faciant ecclesiæ ministri, dicentes cum Paulo: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, Gal. 1. v. 10.

III. *Tanquam piorum commendator*. Johannes gratiam mundi penitus amiserat: Herodi & concubinae ejusdem, sues erat in oculis, Pharisei odio Vatiniano eum prosequabantur, imò eò res cederat, ut jam carceri inclusus, capite truncandus foret: Sed Christus laudibus ipsum prosequitur, & innocentiam ejus publicè profitetur. Id magno ei honori codit, Non enim qui scipium commendat, ille probatus est: sed quem Dominus commendat, 2. Cor. 10. v. 18. Homines verba sua sepe ad assentationem componunt, laudantes quæ non sunt laudanda, & culpantes, quæ culpanda non sunt: sed qui à Domino bono testimonio ornatur, hoc magis permanebit, quām mille thesauri preciosi & magni. Sir. 42. v. 25.

Quod si itaque in mundo neminem offendamus, qui commendet nos: hoc solatum restat, quod Dominus cœlestis, homines pios exciter, qui, quæ bona celimus, prædicent. *A laudari laudari vera laus* est. Hoc vero si fieri debet, conscientia puritati studeamus oportet, sequentes cum Davide bonitatem, Psal. 38. vers. 22. ut cum Paulo dicere possimus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiae nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in

ſapi-

Dominica IV. Adventus.

24

Sapientiâ carnali , sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo , 2.Cor.1.v.12.
Die novissimo hęc laus plenē resonabit , quando Dominus opera misericordiæ , membris suis exhibita , publicè commendaturus est , dicens : Esurivi & dedistis mihi manducare , Matth.25.v.35.

Eò cogitationes nostras intendere debemus , libenter contumeliam patientes pro nomine Jesu , Act.5. v.41. cā fiduciâ freti ,

quòd merces nostra cō copiosior futura sit in cœlis , Matth.5. v.12. tunc enim unicuique laus erit à Deo . 1.Cor.4. v.5.

Id quod nobis omnibus ex gratia largiri dignetur cœlestis Pater per Filium suum dilectum , Dominum & Servatorem nostrum Iesum Christum , in Spiritu Sancto , DEUS benedictus , in secula seculorum , Amen ,

Amen !

Dominica IV. Adventus.

E·vangelium Ioh. 1. v.19---28.

EXORDIUM.

Pharao Aegypti Rex , pium Josephum exaltaturus & Pro-Regem Aegypti constituturus , fecit eum ascendere super currum suum secundum præmissoq; præcone clamari ius sit coram eo : Hic est Pater patriæ ! ut qui libet certior foret , qualem ipsum haberi vellet , Gen.41.v.43. & scqq.

Hoc Christo Servatori applicari potest , cuius typus Iosephus fuit.

Quemadmodum enim Josephus dilectissimus Patris sui filius fuit , sed multis iecirco injuriis affectus à fratribus suis : sic etiam Christus unigenitus filius est , qui est in sinu patris , Jöh. 1.v.18. in quo ipsi complacuit , Matth.1.v.17. sed à fratribus suis quoad carnem , Judæis videlicet , multis injuriis lacessitus est , qui occisum suspenderunt in ligno , Act. 10. v. 39. In propria enim venit , & sui eum non receperunt , Jöh.1. v.11.

Pharao præconem præmisit , Josephum populo præfectorus , qui tenebatur po-

pulo annunciare , quis esset , nempe Pater patriæ , h. e. ejusmodi Dominus , ab quo cujus imperio non moveret quisquam manum , aut pedem , in omni terra Aegypti , Gen.41.v.44.

Sic etiam Pater cœlestis Iohannem Baptistam præmisit , cum Filium suum Salvatorem mundo præficere vellet , qui etiam publicè de eo testimonium perhibuit , quòd esset vera lux , qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum , Jöh. 1. v. 9. agnus Dei , qui tollit peccata mundi vers. 29. Dominus item super omnia , cui Pater dedit omnia in manu ejus , Jöh.3. v.35.

Sicuti itaq; matutino tempore , solem ex orientem clarissima stella præcedit , ut diem annunciet , unde etiam phosphorus illa appellatur : Sic cùm Christus sol iustitiae , Mal. 4. v.2. è tentorio majestatis & gloria sua divinæ , in plenitudine temporis progressus est , tanquam sponsus de thalamo suo , exultavitq; ut gigas , ad currēdam viam suam , quam